

muneribus et intercedentibus sanctis tuis a cunctis nos defende periculis; per d. n.¹

Et infra actionem. Inprimis gloriosae semperque virginis Mariae genitricis² Dei et domini nostri Iesu Christi et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri et Pauli et quae sequuntur usque et omnium sanctorum tuorum sed et diem natalicium celebrantes sanctorum³ tuorum martyrum ac confessorum perfectorum iustorum, quorum sollemnitates hodie⁴ in conspectu gloriae tuae celebratur, quorum meritis precibusque concedas, ut⁵ in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio; per Christum.

Et⁶ ad completa. Sumpsimus domine sanctorum tuorum sollemnia celebrantes caelestia sacramenta; praesta quaesumus, ut quod temporaliter gerimus aeternis gaudiis consequamur; per d. n.⁷

Hoc a⁸ praesenti XV. indictione⁹ et in perpetuum. Sed et mansionarii de confessione debeant observare et diligentiam agere¹⁰ atque luminariorum concinnationem facere sicut a nobis constitutum est, ut septem per ebdomadam in confessione et ibidem permaneant perenniter.

Sanctissimi episcopi et venerabiles presbiteri responderunt: 'Hoc, quod a vestro sancto apostolatu pio est intuitu praevisum, ad laudem certe respicit omnium conditoris et gloriam nominis¹¹ eius. Placet, ut fieri debeat; hoc enim nostra est omnium salus et Dei¹² ecclesiae laus'.

Gregorius sanctissimus ac beatissimus apostolicus papa dixit: 'Dum vestra, sanctissimi¹³, intentio meae concordat dispositioni, ea quae a nobis¹⁴ decreta sunt¹⁵ coram¹⁶ beati Petri apostoli confessione, sub interdictu anathematis firmentur'¹⁷.

Sanctissimi episcopi et venerabiles presbiteri responderunt: 'Grato ducimus, ut interdictum¹⁸ apostolicae auctoritatis haec, quae salubri consideratione praevisa sunt, stabiliri debeant, ne umquam quis audeat existere temerator'.

Gregorius sanctissimus ac beatissimus apostolicus papa¹⁹ dixit: 'Si quis contra huius²⁰ privilegii²¹ definitionem²² venire

1) 'per infra actionem' (om. 'd. n. et') MV. 2) 'genitricis' usque ad 'sequuntur' om. MV. 3) 'sanctorum' incip. tabula tertia. 4) 'sollemnitates hodie' S et *Liber pontificalis*; 'hodie sollemnitates' MV. 5) 'ut usque ad 'Christum' om. S. 6) 'et' om. MV. 7) 'per d. n.' S; 'per dnm' V; 'per' M. 8) a om. S. 9) 'indictum' V. 10) 'agere' MV; 'habere' S. 11) 'nominis' De Rossi; 'nomini' MVS. 12) 'dei' MV; 'diei' S. 13) 'sanctissima' S. 14) 'vobis' S. 15) 'decreta sunt' MV; 'd . . . ' L; om. S. 16) 'quorum' L. 17) 'firmentur' M; 'firmetur' VS. 18) 'interdictum' S. 19) 'apostolicus dei papa' S. 20) 'huius' MV; om. S. 21) 'privilegi' M. 22) 'definitione' S.